



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Agenda Ecclesiae Paderbornensis**

**Dietrich <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1602**

Benedictio Segetum & Seminu[m] in festo S. Marci & diebus rogation[u]m.

**urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3**

## BENEDICTIO SEGETVM ET SEMINVM IN FESTO S.

*Marcī & diebus roga-  
tionum.*

**I**N festo S. Marcī, Sacerdos benedicturus, segeres, exiens  
cum clericis & populo in agrum, precedente cruce & ce-  
reis, super pelliceo & stola ornatus, incipiat Litaniam, sicut  
habetur infra. Quia finitā, dicat.

**K**yrie eleison. Christe eleison. Kyrie  
eleison. **P**ater noster. **A**ve Maria.

**V**ers. Domine exaudi orationem meam.

**R**esp. Et clamor meus ad te veniat.

**V**ers. Dominus vobiscum.

**R**esp. Et cum Spiritu tuo.

### OREMVS.

**P**lacet tuam quæsumus, omnipotēs Deus,  
ut has primitias creaturæ, quas aëris & pluviæ  
temperamento nutrit redignatus es, bene-  
ditionis tuæ imbre perfundas: tribuas popu-  
lotu, de tuis muneribus, tibi semper gratias  
agere: & à sterilitate terre esurientium ani-  
mas bonis affluentibus repleas: vt egenus &  
pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chri-  
stum Dominum nostrum. **R**esp. **A**men.

Ff

ORE,

## OREMVS.

**O**Mnipotens sempiterne DEVS, arbiter throni: qui molem terræ ex nihilo pendente gubernas, & ad vietum humani generis, corporisq; sustentationem, agros operibus excolare iussisti: misericordiam tuam supplies exoramus, vt quicquid in hos agros salubris seminis satum atq; plantatum est, respectu tuæ clementiæ propicias: & aëris temperie moderare digneris: vt refecto atq; absorpto omnium tribulorū, atq; spinarum squatore, efficias fruges fœcundas, & ad maturitatem perfectam tribuas prouenire: vt nos famuli tui vberem tuorum donorum fructū, cum gratiarum actione percipientes, debitas atq; acceptas nomini tuo laudes referre mereamur. Per Christum Dominum nostrum,

**Resp. Amen.**

## OREMVS.

**T**E Domine petimus ac rogamus, vt hos fructus seminum, frugum, frumenti, siliqnis, hordei, auenæ, ac aliorum cuiuscunq; generis existant, tuis oculis serenis, hilariq; vultu respicere digneris. Sicut enim testatus es Moysi famulo tuo in terra Ægypti dicens: Dic filiis Israël cum ingressi fuerint terrā promissionis, quam eis datus sum: vt primitias

fru-

frugum offerant Sacerdotibus: & erunt benedictæ fruges: ita & nos oramus te, Domine: vt auxilium gratiæ tuæ super nos, & hos fructus ad bene dicendum, proferendum concedas: vt non grando surripiat, non turbo subuertat, nec vis tempestatis detruncet, aëris siccitas exurat: non inundatio pluuialis exterminet, sed incolumes & superabundantes propter usum hominum ad plenissimā maturitatem perducere digneris. Per Christum Dominum nostrum. **Resp. Amen.**

**O R E M V S.**

**D** Omine sancte Pater omnipotens, aeternæ Deus: mitte Spiritum sanctum tuū cum Angelis & Archangelis tuis, & cum eis omnes Sanctos, & electos tuos: vt defendant segetes nostras a vermitibus malis & ab auibus, vt magnificetur nomen tuum. Deus in omni loco. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum, &c. **Resp. Amen**

Deinde Sacerdos circumeat agros, vel partem eorum,  
& aspergat aqua benedicta, dicatq;  
tandem.

**E** Th Benedictio Dei omnipotentis, Pa tris,  
& Fi lij, & Spiritus sancti, descendat  
& maneat super has fruges.

**Resp. Amen.**

If 2

IN